

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLs

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0067

Sabato 02.02.2013

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DELLA XXI GIORNATA MONDIALE DEL MALATO (SANTUARIO DI NOSTRA SIGNORA DI ALTÖTTING, GERMANIA) (11 FEBBRAIO 2013)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DELLA XXI GIORNATA MONDIALE DEL MALATO (*SANTUARIO DI NOSTRA SIGNORA DI ALTÖTTING*, GERMANIA) (11 FEBBRAIO 2013)

In data 7 dicembre 2012, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato S.E. Mons. Zygmunt Zimowski, Presidente del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari (per la Pastorale della Salute), Suo Inviato Speciale alla celebrazione della XXI Giornata Mondiale del Malato, che avrà luogo presso il Santuario Mariano di Altötting (Germania) l'11 febbraio 2013.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti Ecclesiastici:

- Mons. Ludwig Limbrunner, Rettore del Santuario di Altötting;
- Mons. Günther Mandl, Direttore dell'Ufficio economico della Diocesi di Passau.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa a S.E. Mons. Zygmunt Zimowski:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri

SIGISMUNDO ZIMOWSKI

Archiepiscopo-Episcopo emerito Radomensi

Praesidi Pontificii Consilii pro Valetudinis Administris

Ecclesia Christi levationem aegrotantibus continenter adtulit neque necessitatibus eorum umquam succurrere cessabit. Memor est enim plurium admonitionum quibus Divinus Magister Apostolos ad evangelizandum misit, inter quas exstitit: "Curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei" (*Lc* 10, 9). Etenim Ipse, ante quam turbas doceret, aegros sanare consueverat (cfr *Mt* 8, 16; 12, 15; 14, 14). Hoc verum

animarum salutis studium omnes christifideles urget ut arctius se Domino Iesu in doloribus adiungant sollicitioremque curam per dies infirmis offerant.

Quandocumque ergo Nos Nostrum pastorale munus erga patientes demonstrare possumus, id libenter facimus, ut ipsi corroborentur et ii qui eorum curam habent fidelius impleant suam missionem. Gaudentes igitur amplecti sumus postulationem tuam, Venerabilis Frater, qua summisce Nos rogavisti ut mitteremus aliquem Legatum ad Ottingam in Germania ut praesentia Nostra propinquius sentiatur inter celebrationes Diei Mundialis Infirmorum. Piae huic postulationi Nos adnuentes ad Te ipsum, Venerabilis Frater, revertimur, quippe qui, velut Praeses Pontificii Consilii pro Valetudinis Administris, plurimum, ut opinamur, conferre possis ut participantes hunc eventum certiores fiant de profusa caritate qua aegrotantes diligimus ac de solertia qua preces pro iis eorumque curam administrantibus fundimus.

Quamobrem Te hisce Litteris **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM** nominamus ad celebrationem XXI Diei Mundialis Infirmorum, quae die XI proximi mensis Februarii habebitur. Te ideo adhortamur ut evangelicae veritatis lumen et unicum salutis viam, Iesum scilicet Christum nostrum, omnibus adstantibus praeconeris. Illic praeterea loqueris de suavissimo amoris vinculo quo arctissime cum eis devincimur. Cum insuper *Annum fidei*, a Nobis in Area ante Petrianam Basilicam indictum, in praesenti feliciter celebremus, admonebis eos ut renovata cum spe fidem in Deum profiteantur, quandoquidem "credendo" etiam infirmi vehementius "praemuniuntur" (S. Augustinus, *De utilitate credendi*, 1, 2). Fides sane christiana urget nos ut Evangelium cunctis terrae populis indubitanter proclamemus (cfr *Mt* 28, 19) et verum doloris ac maestitiae sensum testificemur. Enimvero per angores huius vitae quisque ad veram libertatem sinceramque sui ipsius donationem adducitur.

Tu, Venerabilis Frater, haec Nostra nuntia portabis et participantes invitabis ad fidem firmandam qua liberrime Deo se committunt necnon praecepto amoris ab Eius Filio dato respondent. Interea Nostram salutationem cunctis ibi congregatis referes, praesertim Administratori Apostolico dioecesis Passaviensis ceterisque Episcopis, presbyteris, religiosi viris ac mulieribus necnon omnibus christifidelibus laicis. Verba demum Nostrae benevolentiae etiam ad Auctoritates civiles omnesque participantes extendas volumus.

Nos denique Te, Venerabilis Frater, in tua missione implenda precibus comitamur atque intercessionem Beatae Virginis Mariae Immaculae, Mediatricis omnium gratiarum, commendamus, Tibi Benedictionem Apostolicam libentes impertientes, quam omnibus celebrationum participibus rite transmittas cupimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Ianuarii, anno MMXIII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

[00195-07.01] [Testo originale: Latino]
